

## Salzburger Urkundenbuch (Ed. Hauthaler); Codex Balduuini, Vorrede

Cum multi nunc temporis aecclesiarum dei praedatores ferme in toto sint orbe diffusi, qui sollertia mundiali et factione ad fraudem pleniter instructi more luporum die noctuque rapacitatis invigilant studio, curiosa ubique rataque praemunitio ac veluti undique oculata rebus aecclesiasticis quo firmiter obtineantur adhibenda est cautio, ne forte quod exinde minus videlicet provisum abstrahatur, quod praevalet raptorum versutia aut omnino ab aecclesia, ut sepe contigisse videmus, alienetur aut vix cum maximo sudore utpote de fauce lupina sub obtentum aecclesiae retrahatur. Hoc, quantum nos attinebat, pro viribus nostris praecavere solliciti necessarium duximus, traditiones commutationes complacitationes temporibus Balduuini venerabilis archiepiscopi cum Iuuuensi aecclesia sibi videlicet commissa factas literis ob rerum quippe memoriam primum inventis annotare, ut eó stabiliores quo certiores, eó autem certiores existant quo planius et evidentius per literarum monimenta ignorantiae nebula penitus excussa, quomodo ubi quando per quos a quibus factae sint, tam futurorum notitiae obluceat quam praesentium.